



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xxxv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De eadem re. Cap. XXXV.

Si quis cum excōmunicato, saltem in domo, simul orauerit, iste communione priuetur. *Ex cano-
ne aposto-
lorum.*

De eadem re. Cap. XXXVI.

De his qui communione priuantur, seu ex clero, seu ex laicali ordine, ab episcopis per vnāquamque provinciam sententia regularis obtineatur, vt hi qui abiiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiritur autem ne pusillanimitate aut contentione, vel alio quolibet vitio episcopi videatur à communione seclusus. *Ex cōcil.
Nicano.
cap. 5.*

De eadem re. Cap. XXXVII.

Si quis à proprio episcopo communione priuatus est, nō ante suscipiatur ab aliis episcopis, quā suo reconcilietur episcopo. *Ex cōcil.
Antio-
che. ca. 6*

De eadem re. Cap. XXXVIII.

Excommunicatos quoque à sacerdotibus nullus recipiat ante vtriusque partis examinationem iustā, nec cum eis in oratione, aut cibo, vel potu, aut osculo communicet, nec aue eis dicat: quia quicumque in his, vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicauerit, iuxta apostolorum institutionem, & ipse simili excommunicationi subiaceat. *Ex decr.
Calist. pa-
pae, ca. 3.*

De eadem re. Cap. XXXIX.

NON autem liceat communicare incommunicatis, neque per domos ingredi, & cum eis orare, qui Ecclesiae in oratione non participant, nec in alteram Ecclesiam recipi, qui ab alia excommunicantur. Quod si visus fuerit quilibet episcoporum, vel presbyterorum, aut diaconorum, vel etiam qui in canone detinentur, incommunicatis communicare, & hunc oportet communione priuari, tanquam Ecclesiae regulas confundentem. *Ex cōcil.
Antio-
che.*

De eadem re. Cap. XL.

Si quis sponte communicauerit excommunicato, verbo, in oratione, in cibo, vel potu, XL. dies poeniteat in pane, sale, & aqua. Qui vero eis communicauerit in homicidiis, *Ex decr.
Fabiani
papa epi-
scopis Gal-
liae missis.*

DD